

VI. Et quidem i. pompam graphicè & ἐνεργείᾳ pleniori atque hypotyposi singulari nobis ob oculos ponit Johannes Major in carmine, quod contextuit in honorem ascensionis Dominicæ, benignâ ingenii venâ sic canens:

Romani proceres, dextro rem Marte gerentes,
 Solenni in pompa lætum Pœana canebant,
 Toti lucentes veste atque insignibus armis,
 Velabantque comas lauro, currumque premebat
 Insignem radiis victor, quem tegmen obibat
 Auro intertextum, dextrâ lævaque sequuntur
 Purpurei cristis proceres, ostrôque decori,
 Tendebant alii pictum velamen ad auras,
 Quo res Romanæ, pugnataque in ordine bella
 Cernere erat, versæque arces atque oppida forti
 Capta manu. Tum victa phalanx, ereptaque victis
 Signa vehabantur, clypei que ensesque corusci,
 Et cristæ capitum & lorice ex ære rigentes,
 Externique habitus gentis, gentesque superbæ
 Ferro innectuntur torto, passimque feruntur
 Per fora perque aditus & publica strata viarum.
 Ante triumphalem currum, qui quatuor albis
 Ducebatur equis, pueri cum veste decora
 Frænatis lucent equis. Sed deinde sequuntur
 Insignem currum, quos victor ab hoste recepit,
 Velati ramis oleæ, nexisque corollis.
 Prostrémò incedunt florentes ære catervæ,
 Omnibus his viridi velantur tempora ferto.

Similem descriptionem pompæ triumphalis exhibet Cicero orat. in Pisonem: *Quid inquit, tandem habet iste currus? quid vincti ante currum duces? quid simulacra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid legati in equis & tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa?*

VII. Quas ceremonias pompæ, pleniori plectro à vate expressas & à Tullio relatas, Casaub. ad Baron. annal. exercit. 16. 48. ad duas classes præcipuas reducit, quarum prior ex ipsius sententia continebat ea, quæ populo proponebantur spectanda, aurum, ar-